8.

CONCIO SYNODICA

AD

CLERUM ANGLICANUM,

EX

Provinciâ præsertim Cantuariensi, in Ædе Paulinâ Londinensi habita

VIII. Idus Maias M DC LXI.

PER

THOMAM PIERCE, S. T. D.
Prebendarium Cantuariensem.

LONDINI,
Typis *R. Norton*, Impensis *Timoth. Garthwait*,
M DC LXI.

CONCILIO SYNODICA

DE

LEGIONARIORUM

---

de Probandis Candidatis.

Typis R. Mercelis Imprudh. Typogr. Sacrosanctæ
M. DC. LXI.

REVERENDISSIMO
in Christo
PATRI AC DOMINO,
D°. GUILIELMO,
Archiepiscopo Cantuariensi;
Totius Angliæ Primati
&
Metropolitano;
REVERENDIS DOMINIS
EPISCOPIS;
Totique Clero Anglicano, Decanis,
Archidiaconis, aliisq; Sympresbyteris,
ex singulis Diœcesibus, & Cathedralibus Ecclesiis, Provinciæ præsertim Cantuariensis, in Synodo Londinensi, Auctoritate Regiâ Congregatis,
T. P.
Ἐλαχιστότερος τῶν ἐκ τῆς τάξεως
Ἱερατικῆς, Hoc Ἐξαήμερον
Qualecunque
Dicat Dedicatque.

Actorum Capite quindecimo, verſu 28. à ſanctâ Synodo Apoſtolicâ ſic ſcriptum legimus;

Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc Neceſſaria.

QUemadmodum olim apud veteres mos hujuſmodi inolevit, ut opus aliquod ſive arduum, ſive auguſtum aggreſſuri, in ipſo operis quaſi veſtibulo à ſummo Numine auſpicarentur; pari modo, (quod benè vertat,) opus arduum Auguſtumque (ſi quod aliud) aggreſſuro, (Reverendiſſimi admodum in Chriſto *Patres*, voſque quotquot adeſtis, *viri* & *Fratres*

tres dilectiſſimi,) liceat mihi vobis omnibus (ſi cum Sancto Pſalmiſtâ loqui deceat,) ex * Εὐσεβείας poculo propinare.

* Pſal. 116. 13. Illud *Poculum Salutis* dicitur, quod eſt reverà εὐχαριστίας, ſeu *gratiarum actionis de omni ſalute quam Deus in me contulit.* Vide Jun. & Tremell. in Locum. Quem etiam confer *cum poculo* εὐλογίας *ſive benedictionis.* 1 Cor. 10. 16.

Quid enim homini Chriſtiano, aut prius, aut antiquius haberi debet, (aut nunc præſertim opportunius,) quàm ut à laudibus & Elogiis *Patri Luminum* buccinandis, verba publicè facturus exordium ſumat? & poſt naufragium litatò factum, *votivam Tabulam* ſuſpendat?

Deo Scilicet providente, Deploratiſſima ſcelerum mancipia, à quibus ante Duodecennium Domi foriſque exulabamus, ipſa tandem diſperſa viciſſim exulant; nec jam amplius aſſidentes

Cernimus immunes aliena ad pabula fucos.

Deo brachium exerente, *Phaethontes* iſti præcociores, qui annos proximè elapſos alienis *curribus* inſediſſent, ceu *Brontiâ* quadam perculſi, præcipites ruunt prout aguntur. Nec aliud illis jam ſupereſt protervitatis ſuæ ſolatium, quàm *magnis auſis excidiſſe*, & (quod habemus

hemus apud *Longinum*) ἀμάρτημα illud ἐυγενὲς, μεγάλως ἀπολισθάνειν· documentumque reliquisse, Posteris suis salutiferum, τὴν παννυχεῖν πέρας ἔχειν, nec ulla mancipiis *Saturnalia* in omne ævum duratura. Deo denique curante, & mirum in modum procurante, ex quàm procul dissitis *Britanniæ* partibus, post duodecennem Διασποράν, unius corporis ἀποσπασμάτια in unum denuò coalescimus? nec jam amplius *periculosâ*, sed *utili* fruimur Innocentiâ?

O quàm gratulor vobis vestrum ad vos Receptum exoptatissimum! quodq; non amplius in Britanniâ ipsa *Britannia* sit requirenda! Quin & solennia Gratiarum vota sunt Hostibus vestris nuncupanda; qui rabie suâ effecerunt, ut ὑπερνικῶσιν accenseamini; detúrque vobis conspectiorem de Fortunâ ferociente Triumphum agere. Operæ pretium propè erat in tot discrimina incidisse, ut de Divino in vos favore vel *sic* constaret; ——

——*Aliquisque malis fuit usus in illis.*

Nam ſi *Gregorius Adami Culpam* rectè dixerit *felicem*, quippe *quæ talem Redemptorem habere meruit*: Quidni etiam applaudam vobis Ruinæ nuperæ Beneficium, quibus Talem, Tantumque (qualis eſt Cæſar noſter Britannicus) indulſit Deus Inſtauratorem?

Illi ergo bonorum omnium Fonti ſimul & Largitori, qui quantumlibet immerentibus hæc otia fecit, *luctumque noſtrum* tam diutinum *in Citharam vertit* ſempiternam, ut qui nobis in quantum *Subditis*, Imperii *Principem* Auguſtiſſimum; (fugientium Charitum cum Camœnis *Deo* proximum *Statorem*:) nobis in quantum *Chriſtianis*, Eccleſiæ Proceres cordatiſſimos; nobis in quantum *Reformatis* hodiernam *Synodum* Conſultiſſimam; nec *noſtra* ſolùm, ſed *noſmetipſos* nobiſmetipſis etiam reſtituit; ſoli (inquam) Thaumaturgo, Triuni Deo, Soſpitatori noſtro ſapientiſſimo, ſit Honos & Gloria in omnem deinceps Æternitatem.

Nec

Nec tantùm Deo * μισθαποδότῃ Gratiarum Actiones habendæ ſunt de tot tantiſque beneficiis in nos collatis; ſed inſuper nobis orandum eſt pro Catholicâ Chriſti Eccleſiâ, per varia Regna Reſque publicas quaquaverſùm diſſeminatâ. Nominatim verò, pro Anglicanâ hâc noſtrâ; Atque inibi præ aliis, pro ejuſdem Eccleſiæ Nutricio Carolo, peculiari Dei gratiâ, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, Fidei Defenſore, in omnibus Cauſis, omniumq; Perſonarum, ſive ſacrarum, ſive civilium, immediatè ſecundùm Deum Supremo in Terris Moderatore. Pro Reginâ Matre Henriettâ Mariâ; pro Illuſtriſſimo Principe, Jacobo Duce Eboracenſi; aliiſque quibuſcunque è Regio ſtemmate oriundis.

* Heb. 11.6.

Pro utrâque Domo Parliamenti; pro Regni Proceribus Nobiliſſimis; præſertim iis qui Regi adſunt à ſecretioribus conſiliis. Speciatim verò Preces apud Patrem Cœleſtem ſunt effundendæ, pro univerſo Clero Anglicano, in utramque Domum

Domum Convocationis mox deinde coituro; pro Reverendiſſimis Archiepiſcopis, Epiſcopis etiam Reverendis; aliiſq; quibuſcunq; inferioris ſubſellii Clericis, quibus-quibus ſive muneribus ſive nominibus Inſignitis; ut Pater Luminũ benigniſſimus, cujus verbum eſt ipſa veritas, & via ad vitam exploratiſſima, pro bonitate ſuâ dignetur Hodiernis Cætibus Intereſſe; Quò quæcunque demum conſilia ab iis erunt ineunda, in publicam cedant utilitatem, inque Dei noſtri Gloriam uſque & uſque efferendam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: cujus *meritis* innixi, ejuſque adjuti *oratione*, (breviſſimâ quidem illâ, ſed omnibus numeris abſolutâ,) hæc & cætera qualiacunque quæ nobis ex uſu futura ſunt, à Deo optimo Maximo iiſdem verbis exoremus, quibus Ipſe Incarnatus orandum ſtatuit.

Pater Noſter qui es in Cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas

tas tua ſicut in Cœlo, ſic & in Terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus Debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in Tentationem, ſed libera nos à Malo. Nam tuum eſt Regnum, Potentia, & Gloria, in Secula Seculorum.

AMEN.

Viſum

Visum est enim Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc Necessaria.

INeunti mihi rationem de susceptо munere obeundo, (Reverendissimi admodum in Christo Patres, Fratres in Domino Dilectissimi,) in mentem illicò immissum est, (σκοπεῖν, an secus, aliorum per me licet judicium esto,) quemadmodum Synodi & Synedria in id præcipuè indicuntur, ut hominum animos componant, & paci publicæ velificentur; Ita duo esse potissimùm humani generis Propudia, *Loiolitas* nimirum & *Erastianos*, qui (instar *Davi* illius *Terentiani*) certatim omnia *interturbant*; ac utramque ἱερατικὴν, civilem pariter & Ecclesiasticam, (nec enim *illa* minus, quàm *hæc*, videtur *cœlitùs* oriunda,) quà publicè, quà privatim, non modo *vellicant* & *delibant*, sed pro virili suâ parte *convulsum* eunt. Quicquid

est

eſt juris Eccleſiaſtici, aut ad ſacram πολιτείαν quoquo modo pertineat, *Illi* ſolis *Eccleſiaſticis* (Papæ ſcilicet cum Prælatis) in totum aſſerunt; Civilium interim Magiſtratuum nullâ habitâ ratione. Iſti verò è regione ad ſtuporem uſque abrepti ἀμετεία ἀνθολκῆς, (ut *Sancti Baſilii* verbis utar (inſuper habitis Eccleſiaſticis, ad ſolos homines *ſeculares* Rem totam deferunt.

Hæc ſunt Monſtra illa Dogmatum, de quibus Primæva Dei Eccleſia nunquam vel fando inaudivit; ſed quæ ab ævis ſequioribus ex neſcio quo Tartaro erumpentia, & in Britannias has noſtras malis avibus advecta, credentium animos menteſque ad ſubjectionem debitam emicantes, ceu peſtilenti quodam ſydere eum in modum afflaverunt, uti corrupta Chriſtiani Obſequii Regula ſteterit diu, & obmutuerit. Hinc enim odia ſæpe progerminant pluſquam Vatiniana; ex odiis Schiſmata, Factiones, Seceſſiones in partes, & quod malorum fere omnium extrema linea habenda eſt, *Ne velle quidem ſibi ut ab alterâ parte beneſiat.*

fiat. Hinc Templa Templis adverſantur, Conciliabula ex diametro Conciliabulis opponuntur, atque Altare contra Altare ubiq; loci fere erigitur. Nec in *Schiſmate* (Proh dolor!) ſibi terminum figit malorum ſeges; ſed (gliſcentibus indies Animorum Paroxyſmis, & παροξυσμοῖς,) Res ſubinde repetuntur; & factâ clarigatione, fecialis haſta continuò mittitur; Bellum publicè indicitur; adverſis concurritur aciebus; & (niſi Divinitùs ſit proviſum) ad ipſam internecionem jugi tractu dimicatur.

Neque tamen hîc obtinet, quod ἀθελήτοις fortè objiciant;

Tantum Religio potuit ſuadere malorum; Quod enim Dominus ſalvator de ſe edixit, *Nolite arbitrari quòd Pacem venerim immiſſurus in Terram*; *Non enim Pacem, ſed Gladium*; (Mat. 10. 34.) non ad *Finem* adventus Chriſti, ſed tantummodò ad *Eventum* referri debet, præ hominum vitiis oriturum. Non eſt ἵνα αἰτιατικὸν, ſed ἵνα tantùm ἐκβατικὸν, quod ibi loci intelligitur: prædixit Ille quid certò futurum eſſet, non quid fieri decreviſſet,

creviſſet, aut faciendum eſſe exiſtimaret. Non ſe *cauſam* fore diſſidii, ſed puram putam *occaſionem*. Ipſe enim qui & *Auctor* & *Princeps Pacis*, tanti Pacem æſtimavit, ut etiam ſudore ſuo & ſanguine facilè duxerit redimendam, ſuiſque Diſcipulis *valedicturus* Pacem habuit * *commendatiſſimam*, nihil unquam ſollicitiùs in *votis* habuit (immò verò nec in *Præceptis*) quàm ut Pacem Amœbæam in cunctis hominum commerciis vigere faceret. Et nequid nobis videretur *intentatum* reliquiſſe (quantum humanæ voluntatis ingenium fert,) quò quod maximè cupiebat effectum daret; promiſit ſuis, abiturus, *ſe miſſurum Spiritum Sanctum*, cujus *aurâ* non ſecus ac *Pacis vinculo*, omnes obicem non ponentes in unum corpus coagmentaret. Promiſit *Epiſcopis* vel *duobus in nomine ſuo congregatis* (ſicut *Chryſoſtomus* & *Euthymius* Textum illum interpretantur,) *ſe*, per ſpiritus ſui virtutem, in *eorum medio affuturum*. (Mat. 18. 19, 20.) & *ſi numerus tam exiguus ſpiritu ſancto non deſtituitur*, (*ut* rectè arguit *Cœleſtinus* in

* Joh. 14. 27.

Εἰπὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ, τυτέστι τοῖς συνεδρεύουσιν. *Chryſoſt. Hom.* 61. *in Mat.* 18. *p.* 639.

iis quos ſcripſit codicillis ad Synodum illam Epheſinam,) *Quomodo* (inquit) *non credemus in medio veſtrùm futurum eſſe, ubi in unum ſimul conveniunt tanta ſanctorum multitudo?* ut quod Apoſtolus dixit de Juramento, [εἰς βεβαίωσιν eſſe adhibitum, quò ſuccreſcentibus *controverſiis in Finem eſſet*, ad Heb. 6. 16.] non dubitaverim etiam de *Synodis*, optimo jure aſſeverare. Convenit enim inter omnes, (exceptis ſolis Socinianis, & ſi qui ſint ejuſdem furfuris,) penes *Synodum Oecumenicam*, omnis diſſidii Eccleſiaſtici jus ſupremum deciſivum cenſendum eſſe; in quantum nullum ſit *Tribunal* (nec ullum ſanè vel fingi poteſt) ad quod à Synodo Oecumenicâ ulla competat *Appellatio*. Quantum autem Oecumenica quaquaverſùs per orbem Terrarum valet, Tantundem ferè *Nationalis*, (præſertim in Regno pleni juris, quale *Britannicum*, *Siculumque*, quæ verè audiunt αὐτοκέφαλα, atque αὐτοτελῆ) intra ſuarum ditionum Pomœria obtinet.

Ne verò longè abeatur, diſpiciamus jam

jam de Synodo, quam habemus præ manibus expendendam: Primâ ſcilicet & celeberrimâ; & ad quam, tanquam ad *normam*, Reliquæ omnes ſunt exigendæ. Nam quemadmodum olim inter *Judæos*, ſi quæſtio aliqua orta eſſet quam Schiſmatis ſuſpicio ſequeretur, Synedrium illicò conſulebant, prout illis ex Lege * præceptum erat; Pari modo & Chriſtiani, exortâ gravi Controverſiâ de Lege Ceremoniali per Moyſen latâ, & gliſcentibus inter illos de die in diem ſimultatibus, eveſtigiò ac ſine morâ *Concilium* verè *Apoſtolicum* conſultum eunt, (verſibus 2, 4, 5.) *Apoſtoli* & *Presbyteri* de propoſitâ controverſiâ conſilium ineunt. (v. 6.) Inter cæteros Aſſeſſores, Beatus *Petrus* & *Jacobus* ſententias dicunt; & eâdem fere dicendi formulâ, quâ *Senatores* apud *Romanos* ſententiarum *Dictionem* ſolito more concludebant; Διὸ ἐγὼ κρίνω, *quamobrem ego ſic cenſeo*, (v. 19.) Mox in *Jacobi* ſententiam illam univerſi pedibus euntes, de communi planè conſenſu hujuſmodi placitum decreverunt:

* Deut. 17.

Ἔδοξε

Ἔδοξε μὲν τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων.

Viſum eſt ſanè Spiritui ſancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria.

In quo verborum circuitu ſive complexione, habetis Canonem Eccleſiaſticum, ab ipſis Apoſtolis cum Presbyteris ὁμοθυμαδὸν congregatis, ad lites quaſdam dirimendas, Hieroſolymis conſtitutum.

Tria ſunt autem quæ primâ fronte hîc ſe offerunt obſervanda. Quorum illud inprimis notandum venit, quòd in ipſo Canonis ſtatim initio, *Spiritus Sancti* fit mentio, ne de *negotio* planè *humano*, aut merè *humanâ Auctoritate*, hîc agi videretur. Non enim Synodi ſibi ipſis, nec ὁμοψήφων multitudini, nec ſoli Regum præcellentiæ, (quorum aut juſſu aut permiſſu in unum coeunt,) ſed annuenti *Spiritui Sancto*, quicquid habent poteſtatis acceptum ferunt.

At

At poſtquam Synodus dixiſſet, ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι, quorſum illud etiam adjecit, καὶ ἡμῖν; num ob iſtam rati unculam, (quam tanti faciunt Romanenſes,) Quia de Spiritûs Teſtimonio nequaquam nobis conſtare poteſt, niſi Synodus *Inſpiranti* ſuppetias ferat? minimè Gentium. Sed per figuram illam effertur, quam vocant Rhetores *Hendiadyn*, ſive (ut alii explicatiùs) ἓν διὰ δυοῖν. Ut ſenſus ſit; viſum eſt nobis Θεοπνεύστοις, nobis Θεοδιδάκτοις, nobis edoctis & directis per *Spiritum Sanctum*, (non ne errare valeamus, ſed) ne *erremus*. Unde & Patres in Conciliis ſolennitèr dicere aſſolebant, [*Decrevit hæc ſancta Synodus in Spiritu ſancto convocata.*]

Secundò verò eſt obſervandum, Quòd *ſancta Synodus* non cenſuit, monendas eſſe hîc Gentes de Rebus ad vitam *neceſſariis*, quas jam illis innotuiſſe compertum habuit, [nempè à *cædibus*, *Latrociniis*, *Rebellionibus*, *Sacrilegiis*, atq; id genus aliis omninò eſſe *abſtinendum*,] ſed de iis tantum præcepit, de quibus potuit litigari,

litigari, illīſque aliquid ſubeſſe Dubii; & *per* quæ ſtetit, quo minus Gentes cum Hebræis in unum cœtum coaleſcerent. Cujuſmodi erant εἰδωλόθυτα ſive *Immolatitia*, *ſanguis* etiam, & *ſuffocata*, quæ ne Gentes deguſtarent hîc cautum eſt. Si quis autem autumaverit, ſub hoc Canone comprehendi quæcunque ad *ſalutem* requiri ſolent, toto Cœlo errâſſe dicendus erit. Quum præcepta ſint *alia* atq; *alia*, ſub pœnâ mortis etiam ſancita, quæ adeò non comprehenduntur ἀὐτολεξεὶ καὶ διαῤῥήδην ſub iſto tam brevi verborum ambitu; ut nec legitimè ad eundem *reduci* queant. De illo uno Quæſitum eſt, à quibus rebus Incircumciſos cavere ſibi oporteret, (ſintne *malæ*, an *mediæ*, non multum refert,) quò inter Gentes & Judæos aliquando tandem conveniret. *Eſu ſanguinis & Suffocatorum* Chriſtianis etiam eſt interdictum (implicitè ſaltem & interpretativè) à ſecundo [a] Canone *Concilii Gangrenſis*: diuque poſtmodùm fuiſſe in Eccleſiâ Dei obſervatum, Teſtes habemus

[a] Εἴ τις εἰδωλόθυτα κρέα, χωρὶς αἵματος, ἢ θνικτοῦ, ἢ πνικτοῦ, μὴ ἐνλαβείας, ἢ πίστεως, κατακείνει, ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν, ἐλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθεμα ἔστω. Conc. Gangr. Can 2. ſed in Cod. Can. Eccleſiaſt. Can. 60. A. D. 325.

bemus [b] *Tertullianum*, [c] *Minutium*, [d] *Clementem* etiam *Alexandrinum*, quin & *Novellam Leonis* 58vam περὶ τοῦ μηδένα τὸ αἷμα βρῶμα ποιεῖσθαι. [e] Quanquã prorsus exolevisse sub Temporibus [f] *Augustini*, hujusce Canonis Reverentiam (si non ubique, saltem in Africâ,) ipse nobis *Augustinus* testatum fecit. Atque vel inde satis constat de rerum istarum *indifferentiâ*, sive ἀδιαφορίᾳ, quibus tamen accedens *Lex* moralem impingit *necessitatem*. *Necesse est enim subjici*, Rom 13. 5. & visum est nobis (inquit *Synodus Apostolica*) aliud onus non imponere, quàm hæc *necessaria*, vel (ut ex voce illâ ἐπάναγκες in promptu est hariolari, præsertim illis qui Græcè non vulgò sapiunt,) visum est nobis ea tantummodò imperare, quæ omnino ut fiant, propter *Legem nunc latam necesse est*.

[b] Suffocatis & Morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. *Tertull. Apolog.* c. 9

[c] Tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus. *Min. Fæl. in Octavio.*

[d] οὐδὲ γὰρ δίγειν αἷμα τοῖς ἀνθρώποις θέμις, &c. *Clem. Alex Pæd. l.* 3. *cap.* 3. *p*, 228. *edit. Paris*, 1629.

[e] οὐδ' αὐτὸ πιπράσκειν ἢ ὠνεῖσθαι· Λεοντ' νεαρὰ Διάταξις νη. *pag.* 475. *edit. Scrimger.*

[f] ἐξ ἐναντίας ἀντεῖπε βιβλὶς τοῖς βασανισταῖς, φήσασα, πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; *Euseb. Hist. Eccl. edit. Steph.* 1544. *l.* 2. *fol.* 46. *p.* 1.

Quin & illud est tertiò notatu dignum, Quòd quemadmodum ipse Christus Religionis corruptelas reformatu-

rus, ad *Primordia* rerum & *Fontes* decrevit esse recurrendum, (Mat. 19. 8.) ita & Synodus Apostolica de re præsenti decretura, ad Legem illicò respicit,

Gen. 9. 4. *Geneseωs nono* promulgatam, non tantùm Gentibus, aut Judæis, sed *Filiis* Noæ; Aut (quod in idem planè recidit) *Humano Generi* observandam; utut, tempore procedente, apud solos ferè Judæos vigorem tenuit.

Expensis autem *his Tribus*, in quibus *Scopus* hujus Canonis præcipuè vertitur & consistit; Tria ζητήμαλα statim emergunt, cum bono Deo eventilanda.

Inprimis enim videndum habeo *De Potestate Ecclesiastică* hujusmodi Synodo competente; quousque scilicet de jure *protendi* debeat, & quibus cancellis *circumscribi*.

Secundo loco agendum erit de Rebus purè *Adiaphoris*; an, & quatenus, & cujusmodi *Necessitatem* sibi acquirant; & (legitimâ Synodo decernente) in *Leges* abeant.

Tertiò demùm dispiciendum de *Normâ* illâ & *Perpendiculo*, ad quod decreta

creta Eccleſiaſtica neceſſe habent ut *exigantur*. Hæc ſunt Tria illa ζητήματα, quæ pro Temporis ratione, & quantâ poterunt Brevitate, incumbunt mihi enucleanda.

Ad primum ζήτημα quod ſpectat, Quicquid eſt juris Eccleſiaſtici ad quatuor hæc capita referri poteſt. Inprimis nempe *Liberam Religionis profeſſionem*, quam Conſtantinus & Licinius [*Libertatem Religionis*] in Edicto ſuo nuncupârunt; Deinde etiam *Immunitatem* à cunctis publicis muneribus, quæ τῶν λειτουργημάτων ἐλευθερία *Juſtiniano* appellatur; Tertiò verò *Exemptionem* à *Secularibus Judiciis*; poſtremò *Jus Auctoritativum* de *Laicorum cauſis Cognoſcendi*. Quid ex his *Divino* jure, & quid *humano* ſit introductum, (nempe favore Imperatorum, * *Conſtantini*, *Conſtantii*, & *Conſtantis*, *Leonis* denique, & *Anthemii*,) facilè cuiquam innoteſcet, qui cum Scriptis Canoniſtarum Divina conferet. Gravitèr autem errare ſolent, qui non *diſtinguunt* Poteſtatem *à Deo* datam Eccleſi-

* Vide Guliel. Barclaium de poteſtate Papæ apud Gold. v. 2. p. 649.

cleſiaſticis, ab eâ quam *Regi* acceptam ferunt. *Illa* enim quaſi *ſeparat* Rempublicam ab Eccleſiâ; ſed Eccleſiam Reipublicæ *adjungit ille*. Nam ante tempora *Conſtantini* qui *Magni* nomine inſignitur, (Nominiſque *menſuram* reverà *implet*,) ita Eccleſia in Regno erat, ut pars ipſius non cenſeretur. Neque enim æquo jure cum reliquis civibus utebatur, nec præter *Jeſum Crucifixum* (cui *ſub cruce* militabat) contemptæ paſſim Diſciplinæ *ultorem* habuit.

Quantum ad *Jus* Eccleſiaſticum *internum* attinet, Jus nimirum *prædicandi*, ad *preces publicas* conveniendi, ſacram *Synaxin* celebrandi, *ædes ſacras* ædificandi, ſacras *Synodos* cogendi, ſacram denique *Diſciplinam* pro rei merito uſurpandi; Illud *Apoſtolis* & *Epiſcopis*, qui * *tenent Locum Apoſtolorum*, (ut ipſe Sanctus *Hieronymus* diſertè docet) non niſi *deſuper* & *à Deo* conceſſum venit. Sed quantum ad juris *Exercitium*, (quod jus *externum* vocare licet) Jus nimirum faciendi quicquid ad *ſacram* πολιτείαν pleno modo adminiſtrandam optari queat, idque

* Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent. *Hieron ad Marcellam adverſus Montan. Ep.* 54. *p.* 160. *B.* ☞

idque non clanculùm & in Latebris, ſed ἐλευθέρως καὶ ἀπλάςως, (ut loqui ſolent Imperatores,) Illud à piis *Imperatoribus* (ſed per illos etiam *à Deo*) Eccleſiaſticæ Hierarchiæ indultum fuit.

Nam licet Synodus *Ancyrana* atque *Neocæſarienſis* (ipſâ *Nicænâ* Anteriores) abſque juſſu *Conſtantini* coactæ ſunt; Regiâ tamen auctoritate *munitas* eſſe, nemo ſanus inficiabitur. Diſtinguendum autem eſt ſemper inter Synodos *Generales*, & merè *Topicas*; Illæ à ſolis * *Imperatoribus*, Hæ ab *Epiſcopis* [a] *Metrotropoliticis* (ſive Principum *Juſſione*, ſive tacito *conſenſu*,) pro veteri more indici poſſunt. Ad rem [b] exemplis evincendam, (ſi per otium meum liceret, aut veſtram ſaltem per patientiam,) ſexcenta ſanè in medium proferre poſſem.

* Vide *Eutrop. Longobard. p.* 10.

[a] Epiſtolæ per fratres à *Metropolitano* dirigendæ ſunt, &c. *Concil. Tarracon.* 500 poſt Chriſtum annos in Hiſp. celebrati, *Canon.* 3. Προσήκει δι' ἐπιςολῆς τὴν ἐν τῇ μητροπόλει συγκαλεῖν πάντας τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ συλλειτουργούς. *Concil. Antioch. Can.* 19. *Sed Cod. Can. Eccl. univ. Can.* 98.

Μὴ ἐξεῖναι δέ τινας καθ' ἑαυτοὺς Συνόδους ποιεῖσθαι, ἄνευ τῶν πεπιςευμένων τὰς μητροπόλεις. *Concil. Antioch. Can.* 20.

Ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία Σύνοδος κατὰ τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων κανόνας, δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συντρέχειν καθ' ἑκάςην ἐπαρχίαν τοὺς ἐπισκόπους, ἔνθα ἂν ὁ τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπος δοκιμάσῃ. *Concil. Chalced. Can.* 18. *Codicis verò Can. Eccl. univ. C.* 197.

[b] Conſule *Euſeb. l.* 3. *de vit. Conſt. cap.* 4, *Evagr. l,* 2. *cap.* 4. *Theodoret. l.* 2. *cap.* 8. *Anonymum I. C. de libertate Eccl. cap.* 3.

Sed

Sed ne teſtibus ſupervacaneis impræſentiarum abuti videar, ſufficiat *ſemel* vel *dixiſſe*, quod ſanctiſſimè recipio in me *probandum*, (tum contra Papæ Paraſitaſtros, tum contra eos qui hâc ex parte Mephitim illam Papiſmi plus nimio redolent,) Quòd ſine Regibus annuentibus, ex quo Reges evaſerunt *Eccleſiæ Filii*, *Nutriciique*, & quaſi *Epiſcopi* ἐκτὸς, etiam divinitiùs conſtituti, (ut Magnus ille *Conſtantinus* non ſemel dixit,) nunquam Placitis Synodalibus ſubſcribi licuit.

Jus autem liberè *cogendi* Synodos, & jus in Synodis celebrandis *condendi Leges*, pars eſt cultûs Chriſtiani *neceſſaria* prorſus, & ἐσιώδης. Quomodo enim *fient omnia* εὐχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν, nihil ſcilicet *confusè*, & pro cujuſque *Temeritate*? Quomodo controverſiarum figetur Serra, & malæ fidei mercatoribus Labia ſaltem obturabuntur? Unde tollentur corruptelæ, quæ in Eccleſiæ Diſciplinam ſubrepſiſſe comperientur? (ut paucis denique abſolvam) Ubi loci difficillimæ de Rebus Fidei Quæſtiones, aut tutò poterunt

1 Cor. 14. 40.

runt *eventilari*, aut ad optatum aliquando perduci *Finem*; ſi non in *Synodo Nationali* in Nomine Domini congregatâ, cui vel ipſe fidem dedit, ſe pro certo interfuturum?

Quotus enim quiſque eſt, etiam in ſacris verſatiſſimus, (ſi *privatim* accedat, & *extra Synodum*,) cui cùm abdita myſteria Divinæ Naturæ appropinquant, ſimulque incumbunt enarranda, non refugiat eveſtigiò trementi ſanguis, atque præ metu exalbeſcat? Quotuſquiſque vel *Ingenio* complecti queat, (nedum *verbis* aſſequatur) quomodo Pater ſine *initio*, & ſine *fine* gignat Filium, in quem ita Generans ſeſe totum *effundit*, ut ipſi nihil *decedat*, & à quo Generatus eâ naſcitur ratione, ut ab eo qui generat recedat nunquam? & à quibus utriſque Spiritus Sanctus eo pacto procedit, ut ne γρὺ quidem confuſis Perſonarum Trium proprietatibus, ejuſdem naturæ inter omnes conſortium exiſtat abſolutiſſimum? Quis eſt ille in Theologicis uſque adeò oculatus, ut expedire mihi queat (ſaltem pro rei dignitate) ineffabile illud

illud Divinæ cum noſtrâ Naturâ contubernium? quóve nexu ſibi invicem eum in morem ſint copulatæ, ut idem qui ſemper ex Deo vero verus Deus exiſtat neceſſe eſt, Homo quoque, & quidem verus, ex verâ homine naſceretur? aut quomodo mulier Deſponſata ita Parentem ſuum pepererit, ut virgo fuerit etiam à Partu multò quàm antè Immaculatior?

Certo certius (Auditores) tantùm abeſt ut *privatim* de rebus hujuſmodi ſit ſtatuendum; ut nulla ſint capita Theologica, unde natæ ſunt aut *plures*, aut certè *difficiliores* de ipſâ Fide Quæſtiones. Nulla de quibus erratum eſt, aut *faciliùs* utique aut *periculoſiùs*. Nulla in quibus inſudarunt majore cum animi contentione, ſuprà-quàm-dici-poteſt eximia Scriptorum veterum Ingenia. Nulla in quibus explicandis, aut magis *variant* Interpretes, aut majores veritati *offundunt Tenebras*. Tanta eſt hominum imbecillitas, in Rebus Dei inveſtigandis; Tanta verborum etiam obſcuritas, in inveſtigatis enarrandis; Tantaque rerum

rerum difficultas, quæ omne verborum artificium plerumque ſuperat, & compluribus paraſangis poſt ſe relinquit.

Egóne verò, aut *Ille*, aut quiſquam alius ὁ Δεῖνα, ut ad ejuſmodi ferè ἀνεξερεύνητα, ἀνεξιχνίαστα myſteria, per loca crebris variiſque difficultatibus impedita, frequentibus ſalebris interſepta, lamis ac ſaltibus impervia, eluvionibus & voraginibus ſæpenumerò interciſa, aditum *Singuli* faciamus, qui vixdum patuit *Univerſis*?

Hi ſunt vel *Synodo* tam *digni vindice Nodi*, ut ſibi in ſolidum enodandis, *Frequentiam Hominum Angelorumque* videantur forſan deſiderare. Nec *aliuſmodi* ſanè *frequentiam*, quàm cui Chriſtus per Paracletum ita intereſt, & præeſt, ita dirigit, atque gubernat; ut *verè* poſſit & *ſine fuco* Tritum illud pronunciari, [*Decrevit hæc Sancta Synodus in Spiritu Sancto Convocata.*] aut quod eôdem ferè redit, Ἔδοξε τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ ἡμῖν, *Viſum eſt nobis per Spiritum Sanctum, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria.*

Non *præcisè*, & *per se*, & *antecedentèr* necessaria; *Necessaria* tamen omnimodè, ut vobis in partes abeuntibus statuatur *uniformis* vivendi *ratio*. *Necessaria* etiam, quia *Præcepta*. Charitas enim (fatente *Bezâ*) in Rebus Mediis est *necessaria*. Charitas autem sine *obsequio*, nulla potest excogitari. Et quandoquidem illud ἐπάναγκες usque adeò sit *purè Græcum*, ut apud *Atticos* etiam Scriptores de iis rebus adhibeatur, quas aut fieri, aut omitti *Lex ipsa jubet*, ideo rectà me ducit ad *secundum* Ζήτημα trutinandum;

Nempe de rebus antecedentèr & ex naturâ suâ *Adiaphoris*. An, & quatenus, & cujusmodi *Necessitatem* sibi acquirant, & (legitimâ Synodo decernente) in *Leges* abeant. Ἔδοξε μηδὲν ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων.

Vocabulum illud [ἐπιτίθεσθαι] quod à Sanctâ Synodo adhibetur, liquidò notat *Auctoritatem Præcepto* junctam. Βάρος autem

autem hic dicitur quod ζυγὸς ſuprà (v. 10.) Apertè innuens, *Materiam* Canonis Apoſtolici Adiaphoris eſſe annumerandam. Non de *Fornicatione*, aut *commercio cum Idolis*, (quæ *Naturâ ſuâ* ſunt *mala*, & quorum *merces mors* eſt,) ſed de *ſanguine* loquor, & *ſuffocatis*, à quibus ut rigidè ſe abſtineant tenentur Gentes. Cujus rei *Indifferentiam* (ſi per ſe conſideretur) ille Chriſti Aphoriſmus abundè probat. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed id quod exit.* (Mat. 15. 11.) Et *qui fortè pauci adhuc iſta tangere formidant*, (inquit Epiſcopus * Hipponenſis) *à cæteris omnibus irridentur.* Cui etiam ſuffragatur univerſa *Eccleſia Wirtembergenſis*: *Inſtituerunt* (inquit illa) *in Actis Apoſtolicis, ut Gentes caverent ab eſu ſanguinis & ſuffocatorum; non ut hæc obſervatio inter Gentes eſſet perpetua, ſed Temporalis; & tamiſper duratura, dum hujuſmodi eſus non eſſet amplius offendiculum.* Ita Eccleſia etiam *Bohemica*, *capite decimo quinto.*

Rerum autem Indifferentiam *ceſſare* poſſe, & ἀδιάφορα tranſire in *Neceſſaria*,

* *Auguſtinus ubi ſuprà, l. 32. c. 13. p. 200. C. Wirtemb. Confeſſ. art. 35. Vide Bezæ Epiſt. 8vam ad D. Edmund. Grindallum Epiſcop. Lond. p. 210.*

(saltem pro temporis conditione, necdum legibus abrogatis per quas jubentur,) Argumentis penè *innumeris* probare possem, nisi id hominis videretur libertate loquendi suâ intemperantèr abutentis. Pace vestrâ tamen liceat (modò brevitèr raptimque) ut inde usque ab initio rem totam repetam. Dignum est enim quod hic adverram, Post privilegia multifariam primis Parentibus indulta, placuisse Deo Protoplastas triplici Lege instituere. Primâ scilicet *naturali*, cujus primum * Præceptum est, *Bonum esse prosequendum, vitandum malum*; *Alterâ supernaturali*, de *Credendo* & *sperando* in unum *Deum, ipsumque animitùs diligendo*; Tertia denique *speciali*, (ut doctissimus *Torniellus* loquendum putat) *De ligno scientiæ Boni & Mali sub pœnâ mortis non comedendo.* Si quis autem hîc scisciatur, cur *prioribus* non contentus, *tertiam* insuper Legem adjecerit Deus? Respondent illico Doctores, id *duplici de Causâ* à Creatore fuisse factum. *Prima* causa hæc erat, ut sua in homines παμβασιλεία luculentius aliquantò

* *Aquin. 1. 2. q. 94. c. art. 2.*

tò conſtare poſſet; cui Res per ſe *Medias*, nulliſque Legibus adverſantes, pro abſoluto ſuo imperio, aut *præcipere* placuit, aut *prohibere*, quemadmodum ipſi collibitum fuerit. *Altera* cauſa videtur eſſe, ut vel ſic in *primo homine*, (Humani Generis planè Archetypo) luce clariùs innoteſceret futuris ſæculis, quantum obſequii quaſi vectigal (in his quæ *mala non ſunt*) ταῖς ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ſolvendum eſſet. Inprimis *Deo*, *per Quem Rex Regnat*; deinde *Regi*, qui *Dei* in Terris *vicarius* audit; poſtmodum verò *Poteſtatibus à Rege miſſis*. Ita enim Beatus *Petrus*, Pauli optimus Interpres, *Ep. 1. cap 2. v. 13mo, & ſic deinceps.*

Et ſicut in commodum Reipublicæ conduntur *Leges ſæculares*; ita in uſum etiam Eccleſiæ, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, Eccleſiaſticæ quædã Leges vigorẽ ſuum obtinuerunt. Naſcente adhuc Chriſtianiſmo, ut in externis etiam Ritibus cultus Dei promoveretur, Beatus Paulus hanc tulit Legem; *Omnia decentèr, atque ordine fiant.* 1 Cor. 14. 40. ubi vocabulum εὐσχημόνως, idem ſonat quod πρὸς τὸ εὔσχημον (c. 7. v. 35.)

v. 35.) * *Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus*, exponunt τάξιν per ἀταξίαν· ut nihil *confusè* peragatur, & pro cujuſque *temeritate*. Illud enim cum *decoro* (ut S. Ambroſius interpretatur) *quod ſit cum Pace & Diſciplinâ*. Rectè igitur *Calvinus* illud *Pauli* præceptum vocavit *Regulam*; *ad quam* (inquit) *omnia quæ ad externam* πολιτείαν *Eccleſiæ ſpectant, exigere convenit*. Et ſi quis fortè hîc urgeat, quod *Apoſtolus Jacobus pugnare ſecum videatur, cùm negat exhibendam eſſe Gentibus moleſtiam* *, (Act. 15. 19.) & tamen † *Ritus præſcribit qui in Lege Moſis continebantur*; reſpondet optimè *Calvinus*, (cujus utinam hâc ex parte fratres noſtri diſſidentes ſequaces fiant!) * *Primùm nihil ab illis exigit, quod fraternæ concordiæ non deberent. Deinde etiam hæc præcepta nihil eorum conſcientiis inquietudinis aut turbæ afferre poterant; in quantum ſcirent, ſe coram Deo eſſe liberos. Præterea, in externâ Diſciplinâ & ceremoniis, ſigillatim voluit præſcribere quid ſequi debeamus.—— poſtremò; prout Eccleſiæ utilitas requiret, tam ritus uſitatos mutare & abrogare,*

* In Col. 2. 5.

* Μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν.

† Elegiſſe mihi videntur pro tempore Rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam. *Aug. contr. Fauſt. l. 32. c. 13.*

* *Calvin. Inſt. l. 4. c. 10. p. 30.*

abrogare, quam novos inſtituere conveniet. Et * ut in pauca rem conferam, Eccleſiæ ferè ad unam omnes quæ *Proteſtantium* nomine cenſentur, ſaltem *Bohemica, Helvetica, Gallica, Belgica, Wirtembergenſis* etiam, & *Suevica, Anglica, Saxonica* & Confeſſio *Auguſtana*, (quas de induſtriâ nudius-tertius hiſce oculis uſurpavi) uno ore confitentur, etiamſi non uno verborum ambitu, *Quòd omnes Ritus & Ceremoniæ, quæ ad pacem faciunt & Charitatem, nec verbo Dei adverſantur, ſive eæ ab Epiſcopis, ſive à Synodis Eccleſiaſticis, ſive ab aliis Auctoritatibus quibuſcunque extiterint, ſemel introductæ ſervari debent; & de eo ſimpliciores laborare non debent, neque hoc moveri aut perturbari, ſed quia bonæ ſunt, iis etiam ad bonum uti.*

Quod *illis* potiſſimùm notandum arbitror, & remotis Arbitris expendendum, qui ita videntur animati, ut nihil ſibi mandari velint, quod non in ipſo ſacro codice *conceptis verbis* præcipiatur. Certè graviter in eos cenſuram agit Theologus ille conſummatiſſimus Epiſcopus hodie Lincolnienſis, (cujus laudes ſane

* Demonſtravimus de principio, poteſtatem hanc fuiſſe à Chriſto Eccleſiæ traditam, ut ſcilicet pro circumſtantiis locorum & temporum, proque neceſſitate Eccleſiarum, leges concipiat & Canones. *Zanch. l. 1. in 4tum præcept. p. 765. Vide Harmoniam Confeſſionum Genevæ. Edit. 1581. à p. 210. ad p. 231. præſertim p. 213, 214.*

ſane reticeo, quia crediderim de his reticeri velle, & ipſius modeſtiæ parcendum puto;) *Poſſe* (inquit) *de novo Leges condi, de Ritibus, de Rebus, & perſonis Eccleſiaſticis, omnibuſque ſacri cultûs externi circumſtantiis, ad ordinem, honeſtatem, & ædificationem ſpectantibus, extra eas quæ ſunt à Chriſto & ejus Apoſtolis traditæ in ſacris literis; adeò manifeſta res eſt & rationi conſentanea, ut perverſi judicii obſtinatique animi ſuſpicione ægrè ſe liberaverit, qui ſiccus & ſobrius id negaverit.*

Sanderſon de leg. Hum. oblig. Præl. 7. p. 288.

Quin & Res per ſe *Medias Neceſſitatem* poſſe induere, ſi non ſatis *aliundè*, vel *indè* liquet; Quòd *duplici*, ſemper *Jure*, *Divino* ſcilicet & *Canonico*, Primæva Dei Eccleſia felici omine regeretur. Quorum illud in *Sacro Codice*, Hoc in *Codice* continetur quod à Concilio Chalcedonenſi *Corpus Canonum* appellatur. Uterque olim in Conciliis *Sedile* habuit *Peculiare*, in ipſo Conſeſſûs Meditullio eminentiſſimè collocatum; ut ex conſpecto eorum jure, Apoſtolorum ſucceſſores Religionis Dogmata explorarent,

rarent, obortas Hæreſes ſuccideren̄t, & quicquid uſpiam controverſiæ *ad Rem-publicam Eccleſiaſticam* aliquo modo pertinebat, Divino ſemper adminiculo ad lætum exitum perducerent.

Quòd autem Leges Eccleſiaſticæ, Auctoritate Regiâ ſtatuminatæ, ipſas hominum *conſcientias* in Deo onerant, ex eo facilè conficitur, quòd πάσῃ κτίσει ἀνθρωπίνῃ eo *modo* ac *methodo* parendum docet Beatus *Petrus*, ut Regi in quantum *ſupremo* Domino, *Reliquis* in quantum *à Rege miſſis*, utriſque verò *propter Deum* obſequium debitum exhibeatur. Et meritò quidem; quum Totum Regimen exprimatur per τῷ Θεῷ Διαταγὴν, (Rom. 13. 2.) unde & *Petrus* nos jubet (apto vocis delectu) διὰ τὸν κύριον * ὑποταγῆναι: nimirum ταῖς ἐξουσίαις ὑπὸ Θεῷ † τεταγμέναις. Et quandoquidem in ordine ſive Progreſſu *Poteſtatum*, à *Presbytero* ad *Epiſcopum*, ab *Epiſcopo* ad *Synodum*, à *Synodo* ad *Regem*, à *Rege* ſtatim ad *Deum* ſcandimus; ineluctabili conſequentiâ videtur mihi concludi poſſe, Quod quicquid *Reges* præcipiunt, ſive

1 Pet. 2. 13, 14.

* 1 Pet. 2. 13.

† Rom. 13. 1.

per ſe *immediatè*, ſive per *alios* quoſcunque quos *Poteſtatis* ſuæ *participant*, ſi *nuſquam* à Deo *prohibetur*, ipſe *Deus* præcepiſſe cenſendus eſt. Nam & identidem præcepit, ut unuſquiſque *Poteſtatibus* obſequium præſtet. Nec illud tantùm, *ut unuſquiſque*; verum etiam ut *omnis* * *Anima* ſublimioribus Poteſtatibus ſubjècta ſit. Cujuſmodi phraſe ſubmonetur, quòd non *in ſpeciem* aut *ore tenus*, ſed *medullitùs*, & *ex animo*; non *propter iram amoliendam*, ſed propter ipſam *Conſcientiam*, fidemque noſtram *liberandam*, morem gerere Poteſtatibus devincti ſumus. *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti facientes Dei voluntatem, in Cordis noſtri ſimplicitate; bonâ fide ſervientes, ſicut Domino & non hominibus.* (*Eph.* 6. 6.)

Nec hîc immemores eſſe decet, quod in Synodo Nationali *Res Regis agitur*; quippe qui *duplicem* Perſonam ſuſtinet, & Jure *duplici* potitur; unde & *Regis Auctoritatem*, non modò in *Perſonas*, ſed & in *Cauſas* Eccleſiaſticas agnoſcit † Eccleſia

* πᾶσα ψυχὴ ὑποτασσέσθω, Rom. 13. 1.

† Artic. 37.

cleſia Anglicana. Et quandoquidem edixit Salvator noſter, *redde Cæſari quæ Cæſaris*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, (Judice ſaltem * *Auguſtino*) *Niſi Cæſaris præceptum præcepto Dei adverſatur, tanquam judici ſupremo parendum eſt.* Cui conſonum accinuit *Johannes Bekinſau* apud *Goldaſtum*. *Quicquid juſſerit Supremus Magiſtratus quod Dei mandatis non repugnat, ita ut locum non habeat illud,* [*Melius eſt Deo quam hominibus obedire,*] *omnes, cujus-cujus honoris fuerint, niſi Dei ipſius ordinationi reſiſtere velint, profectò obſequi tenentur.* Eundem in ſenſum † *Hieronymus*, *Si Dominus* (inquit) *jubet, quæ non ſunt adverſa ſacris literis, ſervus Domino ſubjiciatur.* Huc accedunt Confeſſionum Reformatarum etiam ſuffragia, nimirum * *Belgicæ, Bohemicæ, Saxonicæ, Auguſtana.* [*Univerſi & ſinguli eminentibus Poteſtatibus ſubjectionem præſtent, in omnibus quæ Deo non ſunt contraria. Neceſſariò debent obedire, niſi jubentibus peccare.*

Nec tantùm numero *ſuffragantium*, ſed & graviſſimis *Rationum* momentis nitimur.

* *Aug. in Matth. de puero Centurionis judicantis ſe indignum Præſentiâ Domini.*

† *Apud Confeſſ. Bohem. cap. 16. de Magiſtr. Polit.*

* *Vide Harmon. Confeſſ. ſect. 19. p. 276, 281, 282, 286.*

nitimur. Illud enim inprimis incumbit *Regi* (aliiſque ſub eo qui *Gladium* habent,) ſummam curam abhibere, ut Eccleſia Dei Ritè, atque ordine Gubernetur; ne polluatur unquam aut corruat, ſed contra omnigenas corruptelas ſarta tecta præſtetur. *Privatis* omnibus curandum, ut ſincera Eccleſiæ membra ſint; neve ſinant corpus ſuum (quod *Templum Dei* nuncupatur à *Spiritu Sancto*) pluribus ſordibus inquinari, quàm ut puriſſimus ille Spiritus in eo velit inhabitare. *Regibus* eapropter commiſſus eſt Gladius ſecularis, quo *extrinſecus* accinguntur ceu *Dei vindices in iram*, Rom. 13. 4. *Privatis* verò non permittitur niſi *gladius ille Spiritus* (ſeu *verbum Dei*) quo Chriſtianos ad unum omnes *adverſus impetus Diaboli* accingit *Paulus*. (Eph. 6. 17.) Præfectis denique *Eccleſiaſticis* commiſſus eſt *Gladius Spiritualis*, quo omnes ſubditos immorigeros * ἐλέγχειν ἀποτόμως, (id eſt, per modum *Exciſionis*,) coſque *Satanæ etiam tradere* † εἰς ὄλεθρον σαρκὸς, ab ipſo Deo mandatum habent. Fruſtrà enim dixiſſet Chriſtus,

* Matth. 18. 17, 18. Tit. 1. 13.

† 1 Cor. 5. 5.

ſtus, *Dic Eccleſiæ*, (Matt. 18. 17.) niſi effrænes compeſcendi facultas ei competiiſſet. Ita naturâ eſt comparatum, ut Gemella hæc Poteſtas, *Sacra* pariter, & *Sæcularis* (prorſus ut *Pietas*, & *Probitas*, * Timor *Dei*, & *Regis*) *manus* porrigant ſibi invicem ab omni parte *auxiliatrices*.

* Prov. 24. 21.

Ab utriuſq; Auctoritate quicquid *Legum poſitivarum* de rebus nudè Adiaphoris ſancitum fuerit, (ex ſententiâ Eccleſiæ Anglicanæ) ipſam *obligat conſcientiam*. *Conſcientiam dicimus, non Rei ipſius*, (ſive prohibitæ, ſive præceptæ,) *quæ per ſe eſt* ἀδιάφορος, *ſed noſtræ ſaltem obedientiæ*, quam *Lex Divina* à nobis *exigit*; & adeo *non* eſt ἀδιάφορος, ut ad *ſalutem* etiam *æternam* ſit uſquequaque *neceſſaria*: utpote quam qui non præſtiterit, *Damnationem ſibi accerſit*, ſi fides Apoſtolo ſit habenda, diſertè illud aſſeveranti, Rom. 13. 2. Hanc eſſe mentem † *Eccleſiæ noſtræ*, videre eſt in *Homiliâ de Bonis operibus* inſtitutâ. Dicit autem *Eccleſia Suevica*; * *ſe inter primi Ordinis Bona opera, dediſſe locum Obedientiæ quæ Magiſtratibus exhibetur.*

† *Vide Tom. 2. Homil. 4.*

* *Harm. Confeſſ. Sect. XIX. p. 292.*

betur. Et unuſquiſque ſtudioſiùs publicis legibus ſe accommodat, quò ſincerior fuerit Chriſtianus, fideque ditior. Verba ſanè, ſi qua alia, valdè ἀξιομνημόνευτα, propè dixeram etiam digniſſima, quæ Canonibus *noſtris* accenſeantur. Videant, quibus vacat, *Confeſſionis* illius *Suevicæ caput tertium ſupra viceſimum.*

Graviter peccant qui propter has indifferentes Ceremonias turbant Eccleſias, damnant alios principes, & Magiſtratus. Hæccine Pietas quam jactamus? Hæccine charitas quod debemus Eccleſiis & fratribus? *Zanch. de Rel. l. 1. p. 765.*

Hâc Gemellâ Auctoritate, Regiâ ſcilicet & Eccleſiaſticâ, utrâque cœlitùs oriundâ, adhuc in Lumbis Proavorum innixi ſumus, cùm ab Eccleſiâ illâ diſceſſimus, quam *Speluncam Latronum* Romani fecerant. Unde nihil frequentiùs in ore erat Pontificiis, quàm nihil apud nos *ordine*, nihil *decenter* & ἐυσχημόνως, ſed ſuſque deque potius omnia in ſacris cœtibus uſurpari. Quibus ut os occluderemus, eo pacto reſecuimus quicquid aut *ſpurcum* fuit, aut *frigidum*, aut ſacris literis *adverſarium*; ut retinenda etiam cenſuerimus, non tantùm ea quæ nôrant omnes ab ipſis Apoſtolis derivata, verùm etiam & alia quædam quæ ex *uſu publico videbantur, quippe quadantenus facientia † πρὸς οἰκοδομήν.

* Nunquam Eccleſia Dei in Terris caruit Ceremoniis, neque carere poteſt; cum ſine Ceremoniis, nec fideles in unum convenire & coaleſcere poſſunt, nec Deo publicè ſervire. *Zanch. de Rel. l. 1. p. 420. Theſ. 2.* † *1 Cor. 14. 26.*

Recténe,

Recténe, an ſecus, non *Illorum* erat *diſpicere*, nedum certè *pronunciare*, qui bus dicitur ab Apoſtolo, *obedite Præpoſitis, & ſubjacete*, *Heb.* 13. 17. ſi quid aut *deficit*, aut *redundat*, aut quocunq; modo *claudicat* in iſtis *Placitis Ritualibus*, quibus obſtrepunt Novatores, totiſque viribus adverſantur; totum illud lubentiſſimè Gubernatoribus Eccleſiaſticis, in legitimâ Synodo convocatis, ſeu *auferendum*, ſeu *ampliandum*, ſeu *caſtigandum* etiam ſubmittitur. Abſit autem in *tali* Synodo, ut *cum carne & ſanguine deliberetur*; aut conſilium ineatur de iſtis Homulis deliniendis, quibus *quieta movere magna merces*. Nam (ut optimè *Hilarius*,) *Dulce quidem eſt nomen Pacis, ſed aliud eſt* Pax, *aliud ſervitus*. Et aliquantò quidem præſtat τὸ διϊστασθαι καὶ νικᾶν, (ut Ignatius ſcribit ad Polycarpum,) *diſcerpi* ſimul & *vincere*; quam turpi *cedere contumaciæ*; & optimas Leges *abrogare*, eâ tantùm de cauſâ, quod ſæpè à peſſimis *violantur*; aut ſummis curis diſtringi nequid *illis* non placeat, quibus * Dei *Ordinatio* vix unquam placuit, & quibus non placet placere

Ignat. ad Pol. Edit. Voſſ. p. 12.

* *Rom.* 13. 1.

placere Deo. Illud ferè unum Curandum est, ut in omnibus Placitis Synodalibus, identidem respiciatur ad illam duplicem Evangelium prædicandi rationem, à * *Clemente Alexandrino* indigitatam; nempe ἀγγελικὴν, καὶ κηρυκτικὴν, quarum una erat ἐγγράφως, ἀγράφως altera. Illud enim in more † erat Ecclesiæ adhuc incorruptæ, (testante *Vincentio Lirinensi*) *Fidem veram probare duobus his modis; Divini Canonis auctoritate, & Ecclesiæ Catholicæ Traditione.* Ad quam utramque Beatus *Paulus* hortatur *Thessalonicenses. Itaque fratres perstate, & retinete Traditiones, quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram. 2. ep. cap. 2. v. 15.* Atque ita traducti sumus ad tertium ζήτημα pensitandum; Nempe

* Εἰ τοίνυν ἄμφω κηρύττουσι τὸν λόγον, ὁ μὲν, τῇ γραφῇ, ὁ δὲ, τῇ φωνῇ· πῶς οὐκ ἄμφω ἀποδεκτέοι; *Clem. Alex. strom. l. 1. p. 270. in 2 Tim. 2. 2, & 15.* Ἀλλ' ἡ μὲν κηρυκτικὴ ἐπιστήμη· ἡ δὲ πῶς ἀγγελική· ὁποτέρως ἂν ἐνεργῇ, διά τε τῆς χειρὸς, διά τε τῆς γλώττης, ὠφελοῦσα. *Id. ib. p. 271.* Ἡ γεωργία δὲ δίττη· ἡ μὲν γὰρ ἄγραφος, ἡ δὲ ἔγγραφος. *Id. ib. p. 272.*

† Catholici ex more suo fidem veram duobus his modis approbant. — Non quia Canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia S. Scripturam pro suo quisque arbitratu interpretantes varios errores concipiant, adeoque necesse sit, ut ad unam Ecclesiastici sensus Regulam Scripturæ Cœlestis Intelligentia dirigatur. *Vinc. Lirin. advers. Hæres. cap. 41.*

De

De Regulâ illâ aut Normâ, ad quam decreta Ecclesiastica necesse habent ut exigantur.

NOn abhorrebit à proposito (hinc arreptâ occasione) secretioribus aliquantisper suspiriis vicem nostram lugere, nostrisque malis non tantùm *Pœnæ*, sed & *reatus* ingemiscere. Unde enim in Clerum, & in Ecclesiam, nisi ab ipsis Ecclesiasticis tam atrociter animadversum? ex quibus quippe quàm plurimi, malæ fidei mercatores, σκύβαλα quædam & ἀποτρίμματα simpliciorum ex vulgo hominum credulitati obtruserunt: & nescio quem fucum nundinarium veritatis Fronti illinentes, offucias fecerunt Religioni, fraudem Populo, & proximè aberant ne sibi ipsis etiam perniciem. Nam dum sacræ paginæ αὐτοπιστίαν venditabant, sugillabant interim Ecclesiam, (ut ut **Columnam & firmamentum veritatis*,) & Disciplinæ receptissimæ Antichristi stigma inurebant; Patrum Nævos & labeculas sub aspectum vulgi ponebant;

* 1 Tim. 3. 15.

ſuaque ipſoſum deliramenta pro imperio obtrudentes, Scripturas Dei ſacroſanctas in Lesbiam Regulam demutabant. Quæ horſum-verſùm verſatilis, ad Fidei dogmata dijudicanda vice Canonis illius θεοπνεύς (proh dolor!) adhibebatur. Et quemadmodum de *olivæ* nucleo mitiſſimæ aſper exoritur *oleaſter*, Deque papavere *Fici* gratiſſimæ ventoſa & vana *Caprificus* exurgit; Ita & Hæreſes de *noſtro* fructificaverunt *non noſtræ; degeneres veritis grano, & mendacio ſylveſtres.*

Tertull. de Præſcript. adverſus Hæreſ. cap 17, 18.

Sed Hæc utique (inquit ille) *& Ipſi habent in nos retorquere, à nobis Scripturarum Adulteria fieri. Ergo non proficit Congreſſio Scripturarum* [ex privatâ nimirum interpretatione] *niſi ut aut ſtomachi quis ineat everſionem, aut Cerebri. Si enim recipit Adverſarius, non recipit integras; Et ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones comminiſcitur. Tantumque veritati obſtrepit Adulter ſenſus, quantum utique corruptor ſtylus.* His nituntur Novatores, pro iis ſcilicet ſtabiliendis quæ ex falſo compoſuerunt.——

* *Ergo*

* *Ergo non ad Scripturas provocandum eſt,* [pro cujuſque Arbitratu explicatas] *nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Ordo rerum expoſtulat, ut illud inprimis decernatur, Quibus competat fides ipſa, cujus ſint Scripturæ, à quo, & per quos,* & *quando,* & *quibus* ſit *Tradita Diſciplina, quâ fiunt Chriſtiani. Ubi enim apparuerit eſſe veritatem Diſciplinæ, & Fidei Chriſtianæ, illic erit Veritas Scripturarum,* & *Expoſitionum,* & *omnium Traditionum Chriſtianarum.* * *Id. ib. cap. 19.*

Seriò dicam, Auditores, (& quantumvis Literatori, liceat tamen vel dixiſſe,) quod quotieſcunque apud me ſolum rationes ineo, quibus aut funi Diſputationum, aut Schiſmatum cumulo, aut Hæreſeωn Congeriei aliquando tandem occurratur; non videntur hæc mihi aliter, quàm in Eccleſiaſticæ Auctoritatis ſtabilimento expediri poſſe. Nec unquam erit ut procedamus in Animorum conſenſu & Pace publicâ ſtabiliendis, (quæ jam ſola ferè Sparta incumbit Clero adornanda) priuſquam ad decantatum illud

* In ipsâ Catholicâ Ecclesiâ magnoperè curandumest, ut id teneamus quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est. *Vin. Lir. adverſ. Hæreſ. cap.* 3.

indubitatæ per omnia ſæcula * *Traditionis* fulcimentum, pro ſuâ quiſque virili, ἀκαίρως ἐυκαίρως, quâ publicè quâ privatim, noſmetipſos accinxerimus. Quicquid extra hunc apicem inſudabitur, totum ἔργον quantum-quantum non niſi παράεργον comperietur; & utcunque ἐπιπόνως elaboratum, certè ἀπόνως evaneſcet. *Junone* noſtrâ *fraamur*, ſed *momentaneâ*; nullâque extrinſecùs adhibitâ vi, mox in nubeculam deſiturâ. Novatores illi inter Clericos qui in ipſum os Antiquitatis contemptim admodum ogganniérunt, quot quantiſque hoc in Regno καινοτομίαις quàm promptos Aditus patefecerunt? Si quicquid Vetus Eccleſia ſive decrevit, ſive admiſit, perque decurſum tot ſeculorum ad hunc uſque diem ἀναντιῤῥήτως deduxit, ſuſque deque jam tándem habendum ſit; valeant per me licet unà cum τάξει ἐκκλησιαστικῇ, etiam *Decimæ*, *Pædobaptiſmus*, & *Diei Dominici* Reverentia. Immò (quod totus horreo inter effandum) ipſius Numinis *Tres Perſonalitates*, & *Proceſſio Spiritus* etiam à *Filio*, ad privati cujuſque arbitrium tanquam

quam ad Lydium Lapidem revocabuntur. Nihil deinceps apud Ecclesiam relinquetur illibatum, sed ex casto Veritatis Sacrario in turpissimum hæresiarcharum lupanar desinet. In obscurioribus aut ambiguis Scripturæ locis interpretandis, abundet quisque suo sensu per Ecclesiam licet; eâ lege videlicet, ut ad Fidei ἀναλογίαν exigantur omnia; semperque (ut Vincentius Lirinensis monet) *Propheticæ & Apostolicæ Interpretationis Linea juxta Ecclesiasticî atque Catholici sensûs Regulam dirigantur.* *Vinc. Lirin. cap. 2.*

In hujusmodi Thematis tractatione, certè si quantum mihi rerum dicendarum suppetit, tantum vobis Patientiæ in promptu esset, periculum vobis immineret, ne in suggesto consenescerem.

Sed opportunè mihi succurrit, quàm non facilè condonetur ad clepsammidium concionanti, prolixiùs agere. Et ne Tempus præterlabatur hujusmodi Pensis præfinitum, satius duco circumscribere quod alioqui restat discutiendum, quàm aut vestro tædio non occurrere, aut modestiæ meæ limites videri saltem transilire.

Interim

Interim tamen non possum quin vos obtester, (Reverendissimi admodum in Christo Patres, Fratres in Domino dilectissimi,) per Patrem Luminum benignissimum, qui Divini vos Luminis participes fecit; per Sacrosanctum illum Spiritum, qui vos obsignavit εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως: perque dulcissimum illud Nomen quod super omnibus vobis est invocatum; per siquid vestris animabus aut unquam Cordi aut Curæ fuit; ut ea vestrûm unicuique obeundi muneris sit conscientia, quæ memoriam Sui non perhorrescat, suæque ipsius non metuat interesse Posteritati. Ut ab hâc Synodo Apostolicâ Pharmaco vobis indicato, morbis publicis sanandis medicatrices manus adhibeatis. Ut quod in Synodo Oecumenicâ, nemine quidem refragante; id in vestrâ Provinciali læto celeusmate excipiatur, † τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Utque de vobis unusquisque dicendum putet, contra quàm *Ille* * *Nazianzenus* de sui seculi Conciliis, ὅτι ταύτης τῆς Συνόδου τέλος εἶδε χρηστὸν· μηδὲ προσθήκην κακῶν, μᾶλλον δὲ λύσιν, καὶ συγκλεισμόν.

Eph. 4. 30.

† *Concil. Nican. Can. 6. A. D. 325.*

* Ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν Ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς Συνόδου τέλος εἶδον χρηστόν· μηδὲ λύσιν κακῶν, μᾶλλον ἐσχηκύιας, ἢ προσθήκην. *Greg. Naz. Epist. 55. ad Procopium verò, 42. p. 814.*

Nihil

Nihil mihi ulteriùs reſtat, quàm ut ſuppliciter & obnixè atq; animitùs Deum venerer, ut ducat vos omnes per Spiritum Sanctum, in omnem omnino veritatem; ſuggeratque vobis conſilia Eccleſiæ ſuæ ſalutaria, propter Merita Mortemque Filii ſui unigeniti. Cui *Filio* cum *Patre* in unitate *Spiritûs Sancti*, Immortali, Inviſibili, ſoli Deo ſapienti, ſit Honos, & Gloria, & Gratiarum Actio, & nunc, & deinceps, in Secula Seculorum.

FINIS.